Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Registratura Maximilliani - Cod. Aug. pap. 13

Maximilian <II., Heiliges Römisches Reich, Kaiser>

[Reichenau], 1563-1566

September

urn:nbn:de:bsz:31-84715

Visual Library

1.5.64.

SEPTEMBER



BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Maximilianus &c.

397° Reipub: Genuen.

Fuit iampridem is noster erga Vos et benignitas, ut quæ quidem in reconcilianda Vestra Repub: cum Duo Imperatore Ferdinando Dño et Parente nro colendissimo felicis: memoriæ, nostra authoritate potuimus, libenti plane et beneuolo inprimis animo egerimus. Permouet autem et nunc quoq; ad Vos clementius etiam porro complectendos, Vestra ista erga Nos studij et obseruantiæ singularis testificatio, de qua Magnificus Orator Vester Joan: Bap: Lemellinus fidem nobis adeousq; constantem ferit. Is certe in demandatis preterea sibi a Vobis negotijs omnibus apud Nos explicandis, suæ nobis integritatis et rerum agendarum peritiæ, specimen insigne de se prbuit; dolorem insuper illum, quem Vos literis Vestris de prdicti Diui Parentis nostri obitu concepisse ingentem quam officiosissime nobis declarastis, oratione sua prudenti et prgraui sane ita est attestatus, ut uel ex hac sola

in

in defunctum pietate de animo nobis uestro deuotissimo
plus satis constare possit. Accipimus itaq; à Vobis gra:
to et benigno planè animo quæcunq; tandem illa sunt
Vrè erga nos deuotionis et obseruantiæ officia: de Cæsa:
rea nostra erga Vos beneuolentia et gratia, quam in
Vestris istiusq; Reipub. rebus et commodis iuuandis
atq; prouehendis semel suscepimus, nihil omninò porrò
remissuri, sed indies auctiorem uobis certò conserua:
turi: Comellinum aut sua nobis Virtus, morumq; ama:
bilitas, et, quam diximus, in rebus agendis dexteritas
adeousq; nobis charum acceptumq; reddidit, ut eius p:
sentia plurimum sanè simus delecti, atq; eum proin:
de psentem nobis diutius esse, nisi à Vobis reuocari se
significaret, libenter sanè uidissemus. Confidimus ta:
men fore, ut eum, (tametsi, uti de Repub. ista bene meri:
tum, uobis iam anteà commendatum) huius tàm dex:
tre tamq; impigrè apud Nos defuncte Legationis no:
mine chariorem etiam porrò sitis habituri. Datæ Vi:
ennæ Austriæ 5 Septembris.
Anno ꝛc. M. D. LXIIII.

398.

Decretum Viennæ v.ta septemb. Anno 64. de promouendis doctoribus in Archigymnasio Vienensi.

LXXV.

Sac: Cæs.a Mtas Dominus noster Clementissimus, audita difficultate, quæ in promouendis hoc in Viennensi Archigymnasio Doctoribus inuenitur, circa professionem Catholicæ et Romanæ religionis ab ipsis exigendam. Mandat atq; deinceps inuiolabiliter obseruandum sciri decernit: ut deinceps in quacunq; demũ studiorũ grauiorum facultate Doctoratus aliarunq; dignitatum insignia suscepturus, si sese Catholicum esse, et cum Sancta Matre Ecclesia Catholica cõmunicare professus fuerit: ad Romanæ insuper Eccliæ specialim profitendam minimè astringatur: Quod ita sese uelle Cæs. Sua Mtas manu sua subscripta, et sigillo Cæsareo hic impresso attestatur. /

399.

Maximilianus etc.

Duci Mantuæ

Cum Joannes Antonius Magrus Nobilis Mantuanus, uitæ suæ rationum commodiùs instituendarum causa sede extra Vrbem Mantuam fixa aliquandiu commorari è re sua fore omnino existimet. Id ipsum ut Vrae Dilmis bona et Clementi uenia sibi liceat, hoc est uel per decennium saltem iamdicta ratione Vrbe abesse nostra intercessione et authoritate apud eandem V. Dilmam effici quam humiliter expetit: Ei igitur cum nos in re psertim non iniqua, faueri atq; annui percupiamus. gratum nobis multum acciderit, si, quod petit, à Vra Dilma nostra hac comendatione, qua idem etiam amater ab ipsa petimus, haud grauatè consequetur. De cætero pristinam et fraternam nram beneuolentiam continuam sibi conseruarj V. Dilmo certò persuadeat, Quam ualere uelit Deus immortalis diu et feliciter. Datus Viennæ vta Septembris Ao 1564.

Maximilianus.

400° Duci Veneto

Vertitur iampridem inter Egregios fideles nobis dile-
ctos Georgium Teschitz et Nicolaum Jurischyz de hae-
reditatis cuiusdam acquisitione controuersia, in
qua eousq; tandem progressum est, ut Nicolao
Georgium sub Cognatione male allegata ius in ean-
dem hereditatem ꝓtendere probaturo, testium in
hoc productio incumbat: Quamobrem hac solum nunc
V. Dis.nis opem et authoritatem sibi adesse supplex is
petit, ut ab ipsa, istaq; Clariss. Rep. Capitaneo Spala-
tij Ciuitatis, uel ubicunq; in earundem V. scilicet Dis.nis
istiusq; Reip. Dominio testes eiusmodi negotio confir-
mando reperti fuerint, mandetur, ut pro loci cuiusq;
consuetudine testium utriusq; partium cognationi do-
cendae adhibendorũ examen institui et publica superim-
de instrumenta seu documenta confici curentur. Etsi
autem V. Dis.nis pro suo aequitatis studio ueteri, di-
cti Nicolai petitioni, ꝑsertim non iniquae, libenter
esse annuituram confidimus: ipsi tamen eandem V. D.
istamq; Remp. Clarissimam hoc nomine peramanter com-

bellatam

pellatam uolumus (uti certe plurimum petimus) ut. quæ is non indignè postulat ipsum uel propter nos, minus grauatè consequi efficiant. Id quod gratum nobis plurimum fuisse in colenda et conseruanda amantissimè. quæ cum V. Dilg.e istaq; Clariss. Rep: nobis intercedit amicitia et beneuolentia, p̄clarè aliquando contestabimur. Et cum his ualeat V. Dilg.o feliciter. Datæ Viennæ VI.ta Septemb. Anno ꝯ M.D.LXIIII.o

Maximilianꝰ &c.

Duci Mantuæ

401°

Comprobauit nobis sedulo Illu.is fidelis nobis syncerè dilectus Andreas de Gonzaga ꝯ Vir nobilissimarum uirtutum studiosissimus, dolorem illum, quem literis ad nos suis V. Dilg.o pro sua singulari in fel: me: Sac.am Cæsaream M.tem Dominum et parentem nostrum amantiss. pietate eiusdem de obi:

tu susce:

tu suscepisse se p̄grauem significat. Eo nobis condo=
lendi officio tam amanti, etsi V. Dil.o ob solitam suā
erga nos animi coniunctionem, tam quæ tristia quàm
quæ iucunda nobis accidunt communi nobiscum siue
moerore siue lætitia suscipit, gratum id tamen uel
hoc ipso nōie cumprimis nobis fuit, quòd eiusmodi
erga nos animi specimen insigne ob oculos nobis ponat.
De eo itaq; V. Dil.nam quantumuis antea nobis ada:
matam, plurimum insuper amamus, nihil in nobis
unq; desiderari ex ijs officijs passuri, quæ V. Dil.o pro
arcta ista utriusq; nr̄æ familiæ necessitudine, amici:
tiaq; perueteri, de nobis sibi merito polliceatur. Quā
V. D. superstitem et saluam ēe diu uelit. Viennæ xi
Septemb. Anno p̄ M. D. LXIIII.o /

402.o

Cardinali de Este

Maximilianus &c. Accipimus istud à R. Pater. Vr̄a
pietatis singulare officium, quo de obitu S.æ Cæs. M.tis

Dn̄i

Domini et parentis nostri amantissimi tam studiosè tamq; amanter nobis condolet, eo quo meretur, grato et beneuolo inprimis animo quod ex illo, non istud solum, quo eundem D. Parentem nostrum uiuum semper prosecuta est studium ardentiss. sed et in Nos quoq; synceri amoris et obseruantiæ significationem illustrem haud obsurè deprehenderimus. Si quid igitur eidem R. P. V. mutua nostra beneuolentia, et quam cum ipsa perpetuo conseruatam cupimus, amicitia arctione et Sanguinis necessitudine (. Dijs fauentib.) comprobanda deinceps prodesse poterit, de his ne frustra sibi (. ut significat.) tantum polliceatur, sed alacri id omne à nobis prestitum quandoq; abunde intelligat, summè curabimus. Id quod Mag.cus ac Nobilis Comes Fuluius de Rangoni, uel suo merito nobis magnopere charus, qui ista R. V. P.tis erga nos animi studia nobis egregiè comprobata reliqt de nobis eidem preclare contestabitur. Quam Deus saluam diu conseruet. Datæ Viennæ Austriæ XI. Septemb. Anno ꝛc. M. D. LXIIII.

Maximilianus ♃.

403 Duci Ferrariæ

Ex obitu feliciss. me: Sac. Cæs. Mtis. Dni et parentis nri amatissimi, quem sciebamus iampridem à Vra Dilno. sumè obseruatum et ex animo semper adamatum, quin tàm priuato quàm communi nobiscum nomine eadem Vra Dilnis. plurimum esset dolatura, planè nullum apud nos fuit dubium. Verùm cum eius tamen doloris, lris ipsa suis binis testimonium de se pbuerit, adeousq; insigne, cui ex Magnifici ac Nobilis Viri Fuluij Comitis de Rangone, quem in id mittendum ad nos duxit oratione pgraui, apud nos habita, non leue pondus accessit: intelligimus sanè miram V. Dilnis. in pfatum D. parentem nrum amoris et studij constantiam ista in defunctum pietate insigni egregiè attestatam. Ex hac itaq;, quia nobis pterea moerore ualdè affectis multum consolationis est susceptum, quantum noster ille pristinus erga Vram Dilnem animus propensus

et bene-

et beneuolentia, accreuerit, equidem malumus ipsa re quandoq; ab illa agnosci, quam copiosiori nunc sermone ipsi declaratum. Sentiet aut V. Dil.tio omnia illa uerae amicitiae et beneuolentiae signa, quae à D. parente nostro expectare ipsa poterat in nobis sibi abundè reparata eoq; auctiora, quo magis presentanea nunc est inter nos sanguinis etiam coniunctionis meundae ratio. In munere uero illo Imperatorio, quod nobis sanè grauissimu nunc incumbit equidem id unicè elaborabimus, diuina accedente grâ, ne uel V. Dil.o uel ipsa etiam Vniuersalis Resp. Christiana spe ista maxima in nostra, quam fide nunc et patrocinio posuisse uidentur, istam incomparabilem D. Parentis nostri factam iacturam in nobis resarciendam sibi pollicetes, non temerè unq; eludantur: De his aut singulis, quem diximus Comes Fuluius, qui suarum certè uirtutum presentia et integritate coram à nobis petare agnita benignitatem illam nostram, qua iamantea ipsum ob sua suorumq; nobilissimorum maiorum

de Inclyta

de Inclyta nostra Domu Austriaca bene merita com:
plectebamur, abundantiorem sibi multo iam conciliauit,
copiosius V. Dilg.tis intelliget, Cui à Deo omnia ut feli:
cissima succedant, ex animo comprecamur. Datæ
Viennæ XI.a Septemb. Anno &c. M.D.LXIIII.o

Maximilianus &c.

404°

Don Francisco de Este

Et ex Dilg.nis tuæ literis, et ex Mag.ci ac Nobilis fidelis
nobis dilecti Comitis Fuluij de Rangone sermone abū:
dè cognouimus quantum moeroris fel. me. Sac. Cæs.
Mg.tis Domini et parentis nostri amantissimi obitus,
quantumq; uicissim consolationis Nostra Successio
eidem T. Dilg.ni pepererit. Quæ cum eius pietatem
in defuctum eximiam, et de nr̄a erga se beneuolē:
tia opinionem et fidem candidam egregiè nobis com:
probent, ac proinde non possint non ab illa nobis acci:

dere

dere gratissima, sane ad T. Dilg.nem quæ nobis tam obscu:
rum erga nos studium uetus et continuum, quam fami:
liæ suæ Ill.is cum Inclyta nostra Domu amicitiam et
coniunctionem inter maximè charos iampridem est
habita, porrò amandam et complectendam hoc etiam
nomine nonnihil ardentius, magnopere nos permouet.
Id quod reuera nos omni occasione facere, T. Dilg.tis
pclarè comperiet. Cui omnia à Deo felicia perpetuo
contingant. Datum Viennæ XI. Septembris A.o
M.D.LXIIII.o

Maximilianus etc.

405° Jacobo Laintz supmo Jesuitarum
Magistro Romæ

Ignota quidem nobis antehac minimè fuit pclara
ista Societatis Vræ erga felicissimæ me: Sac: Cæs.
Mtem Dominum et Parentem nostrum amantiss.
obseruantia, animiq; deuotio, sed hanc tamen plu:

rimum

rimum accumulatam nobis attestantur pia ista eiusdem offi:
cia, quibus ex humanis iam sublati eiusdē Diui Parentis
mi animam Deo sacrificijs atq; orationibus suis commen:
dans, prosequi studet; Doloris certè illa grauitate, quem
Vos cum Rep. vniuersali comcunem ex optimi Imp.ris iactu:
ra singulariter sensisse nobis significastis, satis superq;
nobis arguunt. Quapropter hac quidem à Vobis ac:
cipimus benigno et grato inprimis animo, Spes uero
Vrà, et cum tota ferè Rep. Christiana Communis, de
nra in Diui Parentis Imperio successione suscepta,
optima illa expectatio, ne inanis unq; concidat; Nobis
sanè diuini fauente bonitate, qua in assequenda Vris
etiam precibus apud Deum nobis suffragari contendi:
tis, unica cura erit et sollicitudo, Id quod priuatim
Vra etiam Societas, cuius è re et comodo, quae uerè
sunt, perbenigne amplectimur, ut sentiat apprime
cupimus. Date Vienna xiiij Septembris Anno 1564.

406.

Maxmilianus &c

Alphonso de Este

Magni doloris T. Dil.mi causam fore Sac. Cæs. Mt.is Dni et Parentis nri amantissimi obitum nos quidem facile cõjiciebamus, ut quibus continuum eiusdem Dil.mi in ipsũ adhuc superstitem obsequendi studium, multis ex argumentis iampridem erat perspectum. Sed quando eũ ipsũ dolorem et literis suis, et Mag.ci ac nobili Comite Fulvio de Rangone p internuncio coram nobis attestatum singulariter voluit, siquidem hoc ex officio, moerori pterea nro multum consolationis accessit, equidem agnoscimus id animo tãto gratiori et beneuolentiori, quo maior hinc T. Dil.is in defunctum D. Parentem constat pietas, et singularis erga nos animi affectio. Quæ cum pterea spei illius optimæ de nostra in pdicti D. Parentis nri Impe: rio successione susceptæ T. Dil.ni autor sit proculdubio, nos sane, ad amicitiam et coniunctionem inter nos pristinam alacrius etiam nostræ beneuolentiæ offi:

cijs

eijs excolendam, plurimum excitauit. De Syncero itaq; amico et coniuncto quicquid merito expectet V. Dilg.o in nobis sibi paratũ semper pollicebitur. Cui Deus optime semper faueat, Datæ Viennæ xiiii Septembris 1564

Maximi: &c.

4070

Duci Mantuæ

Amamus singulariter Mag.cũ ac Nobilem, fidelem nobis dilectum Comitem Fuluium de Ragone, cuius, ꝑter nobilissimæ familiæ suæ plurima eaq; insignia de Inclyta Domu nr̃a Austriaca merita, priuati quoq; erga nos studij et obseguij ꝑclara penes nos extant indicia. Is cupit impetrare à Vestra Dilg.ne ut in Vrbe Mantua Jus Ciuitatis consecutus, omnibus insuper illis beneficijs, priuilegijs, et emolumentis, quibus cæteri eiusdem Vrbis Ciues incolæ utuntur, ipse quoq; absens ẽt frui et gaudere, speciatim uero in bona quæcunq; et hæreditates, quæ ad ipsũ Jure isthic deuoluentur, aut testamento relinquentur, nulla lege Ducatus V. Dilg.is consuetudinaria, aut decreto sibi obstante consequi atq; adire liberè possit.

Quare

Quare ut ei se Vrã Dilꝰ beneuolum hac in re præbeat, atq; ipsam tam æquè p̃sertim petitionis compotem haud grauatè faciat, nos sanè amanter inprimis petimus, Est enim illius adeousq; domi forisq; spectata uirtus atq; nota nobis in Vrãm Dilꝰnam obseruantia, ut dignum eum multo etiam maiori fauore et beneuolentia existimemus. Si nobis certe amorem et animi propensionem erga nos suam V. Dilꝰ insigni aliquo argumento testatura, nr̃amq; apud se authoritatem atq; intercessionem non parui fieri est comprobatura, hac sanè in re opportunatissimè potest. In qua ut minus difficilem futurã V. Dilꝰm credamus, efficit etiam illud, quod idem gratiæ, multis antehac persæpe concessum esse constet, atq; ipsa p̃terea honestas, uix ferre uideatur, bonis quem suis legitima ratione ad sedelatis, eo tm̃ quod Vrbem in qua illa sibi cedunt, non inhabitet, priuari, Nos sane id, si Vrã Dilꝰ concesserit, tanq; in Nos ipsos collatum amici:

tiæ

tiæ officium memori semper animo recolemus. pter quod ipse Fuluius ita pstanti sit animo, ut si eius opera Vra Dilnio uti uoluerit, grata ei officia atq; studia demonstrare non minus possit, quàm desiderat. Cum his Vram Dilnem Deus incolumem diu conseruet. Viennæ xv Septemb. Anno p. M. D. LXIIII.

Maria etc

408. Duci Cliuen.

Accipimus à V. Dilno quod eius iussu Egregius eiusdem Dilnis Consiliarius et territorij Blanckeburgici pfectus Guilielmus Gulich apud nos diligenter sanè et dexteritate summa peregit, officium benigno planè et syncero animo. Id quàm gratum insuper nobis ab ipsa acciderit, quantumq; eidē ut pro affinitate nostra pristina, constantius ēt porro, benè uelimus et faueamus, ex eodem Guili-

elmo

elmo, cuius nobis magnopere est probata in mandato accepto apud nos exponendo synceritas, et industria, abundantius cognoscet. Ei proinde fidem eandem quam apud Nos meruit, à Vrâ Dilp.mo in hoc quoq; significando haberi benigne cupimus, De debita nostra erga ipsam beneuolentia nihil unq; remissu: ræ. Datæ Viennæ XVII Septemb. Anno ꝑ 1564.

409

Cardinali Morono

Maximilianus &c. Qui uetus R. P. V. in Sac.am Cæs. Mp.mam Dominum et parentem nostrum fel: me: stu: dium animumq; eidem deditissimum iampridem mul: tis ijsq; haud uulgaribus indicijs cognoueramus, ei tam luctuosam nobis eiusdem suæ Mp.tis mortem ꝑgrauis et moeroris causam fore facile conieci: mus. Istud igitur nobis tam amanter condolen: di officium, quod Rma Vrâ Pater.tas literis suis

nihilominus

nihilominus apud Nos egit: equidem eo beneuolentiori accipimus ab ipsa animo, quo et candidiori ab affectu, quo ipsa erga nos fertur; profectum animaduertimus: et leuiorem ex illo nostrum, quodamodo dolorem sentimus redditum. Quod pterea in nostra Diui parentis in Imperio successione, quae cum ipsa Sua Mtas nobis sublata sunt, Reipub: Christianae subsidia abunde restituta iri Rs. P. V. tantopere sibi pollicetur: in eo nos plane toti sumus conseguendo, diuinam id ope indesinenter implorata: Amore certe et beneuolentia mutua isti Rs Pater V. pclarae animi nobis deuotissimi testificationi, cumulate respondebimus. Hieronymi Pallauicini filius R. P. Vrae nepos, ut Serenissimorum Austriae Archiducorum filiorum nostrorum natu maiorum ministerio dicandus in Hispanias mittatur, nobis quidem pergratum est: quemadmodum Rdus deuotus syncere nobis dilectus Zacharias Epus Pharensis Sni D. P. Max. Nuncius

ad nos

ad Nos destinatus &c, qui isto de instituto nobis abunde exposuit, R. Pater.ti Vrae, copiosius declarabit. Quod igitur superest R. P. V. nostra primum beneuolentia iterum amanter delata, à Deo opt. max.o omnem insuper felicitatem expetimus. Datae Viennae XX Septemb. Anno p M.D.LXIIII.

Maximilianus &c.

410 Patriarchae Aquilegien.

Quem communem nobiscum dolorem de Sac. Caes. M.tis D.ni et parentis nostri amantiss. obitu V. Deuot.o se ferre l.ris suis abundè nobis est attestata: is certè V. D.nis et eximiae in defunctum pietatis et deuotissimi nobis animi, p.claro nobis argumento est, De isto igitur pio officio, quod ab ipsa perbenignè accipimus, Vestram insuper De.nem plurimum amamus et complectimur. Id ut reipsa V. D. de nobis intelligat, et p.terea istam p.claram

ab optimis

ab optimis quibusq; de nostra in Imperio successione con:
ceptam opinionem, quam et V. D. priuatim ferre animad:
uertimus, feliciter ipso euentu subsequamur, nobis certe
summæ erit curæ et sollicitudini. Quod faxit Deus, qui
Vram et Denem incolumem diu conseruet. Datæ Viennæ
XXma Septemb. Anno ꝑ M. D. LXIIII.

411. Cardinali Hyppolyto Ferrerien.

Maximilianus &c. Condolere tantopere Rma Vram Patr.
ex Sacæ Cæsæ Mtis Domini et parentis nostri amantissimi
obitu quantum apud nos literis suis propria manu scriptis
peramanter est attestata; equidem non nisi maximæ eius:
dem erga defunctum pietatis, quæ ex diutina ista in uiuũ
obseruantia et deuotione sola procedit, indicio nobis est
singulari. Priori itaq; nostræ optimæ erga R. P. V. uolun:
tati, quæ ex syncera ista cum Illustri eius familia nobis
iampridem contracta aliquando etiam arctiori sangui:
nis coniunctione (Deo fauente) firmanda amicitia,

ortum

ortum ducens animo nostro semper insedit, sane eiusmodi pium R.mae V. P.tis officium, cum p̄clara ista de nostra successione, suscepta congratulatione coniunctum, non leuiter adaugendae multum sane momenti attulit. Animum certe ardentissimū ad optimorū quorūq; de nobis opinionem, si non omnino assequendam saltem non fallendam, nobis nunq̄ defuisse, Diuina intercedente gr̄a testari unice enitemur. Amore uero n̄ro mutuo R. V. P.tis in nos studium p̄clarum et aequare et superare etiam omnino nobis est animus. Valeat feliciss. eadem R. P. V. Datae XXI Septembris. Anno &c. M.D.LXIIII. Viennae.

Maximilianus &c.

412. Adamo à Dietrichstain

Quem nos charissimorum filiorum nostrorum Rodolphi et Ernesti Austriae Archiducum ministerio à suis destinatum.

destinatum iampridem susceperamus, Hieronymi Pala:
uicini filius quod cum ipsis filijs nostris Hispanias supe:
riorè aut proficisci comode non potuerit, isthuc nunc demũ
maturior effectus eodem instituto mittitur. Ab eorundem
igitur filiorum nostrorũ Dilbus ut is benigne accipiatur,
et inter cæteros earum ephebos honoratos siue pueros
nobiles asciatur, tuæ inprimis erit curæ. Quod idem nos
uelle Rmo in Chro Patri Domino Cardinali Morono a:
mico nro charissimo de eodem puero in id loci recipien:
do nunc etiam satagenti iam respondimus, ut ex litera:
rum quas hisce addidimus exemplo accipies. De cæte:
ro oem tibi in nobis benignitatem conseruari tutto pollice:
beris. Datæ Viennæ XXV Septemb. Anno ꝑ M.D.LXIIII.

Maximilianus &c.

413. Marchioni Piscariæ

Equidem benigne accepimus, quæ nobis Vra Dilo per Egre:
gium nobis dilectum Horatium Tutauilam ꝑ exponenda
nobis curauerat, cum V. Dilnis studij erga nos pristini

constantiam,

constantiam, tamen ipius Horatij fidem in rebus agen:
dis pclaram, et sedulitatem ex illis haud obsure edo:
cti. De ijs aut quid nos V. Di respondendum duxe:
rimus, referet non minus fideliter idem Horatius no:
bis uel suo merito apprime charus, cui proinde eandē
quæ ipsi à nobis est habita fidem à Vra Dilo adhi:
beri, atq; de cætero nro et noie, benignius faueri, bene:
uolenter cupimus, ad conseruandam et excolendam mu:
tuæ nostræ erga ipsam beneuolentiæ officijs, cum ipsa
amicitiam et sanguinis etiam coniunctionem pristinam
ipsi admodum propensi. Datæ Viennæ XXV Septemb.
Anno &c. M.D.LXIIII.

Maximilianus &c

414 Joanni Bettæ Epo Tergestino

Pietatis eximiæ in Sacam Cæs. Mtem Dn: et parentem
nostrum fel: mem: indicio nobis pclaro fuit, dolor, quē
de eiusdem obitu ingentem animo suo esse obortum
Vræ D. literæ nobis copiose declarant. Eam ut pie:

tatem

tatem, tametsi in Tua Deuo^ne per se multum gratam chariorem et et gratiorem habeamus, studij insuper istius T. Dil^o. tam in eundem Diuum Parentem nostrum, quam in nos quoq; ardentissimi testificatio, nos omnino inducit. Spem igitur optimam de nobis et D. Parentis nri Imperio succedentibus, quae T. Dil^ni ne inaniter susceperit ead. T. Dil. ut cois est cum Rep. Christiana, uel suo etiam Episcopatusq; sui, qui nobis iampridem est optime comendatus, commodo, sentiat nos sane benigne efficiemus. Quod pterea T. nobis D^o. in ista extrema nunc aetate constituta tanto uel semel adhuc ad nos proficiscendi desiderio sese teneri significet, nos sane, ut quandocunq; ei comodum erit, ueniat, facile ferimus. ut qui de caetero T. D. eiusq; rerum comodis benigne semper faueamus. Datae Viennae xxiiii Septembris Anno M. D. LXIIII.

Maximilianus etc.

415°

Alberto Lasky.

Nobilis fidelis nobis dilecte. Deberi iamdiu abs te

summa

summa percuma sibi suisq; fratribus iterato ad nos de-
tulit fidelis nobis dilectus Mathias Stolk à Sinstorff,
magnopere congrens ex ista nimia solutionis tuæ mora
irreperabilem rerum suarum iacturam sese pertulisse.
Et siquidem ne in hunc usq; diem, tametsi à nobis quoq;
iamantea benignè monitus, quicq; ei solueris, iterum
perq; humiliter supplicat nostra authoritate apud te
his etiam effici, ut uel nunc tandem, ipsi, quod debes, nul-
la longiori mora interiecta exoluas. Petimus itaq; denuo
teq; perbenignè adhortamur, ut quem nos benignitate nra
libenter foueri, quemq; tua maximè culpa in eiusmodi
dammũ incidisse, et ex dilata etiammũ solutione tua ma-
gis ac magis indies grauari, impensasq; maiores perpeti
quemdemq; iustissima petere animaduertis, dictum Mat-
thiam porro non distineas, quin quicqd debetur, abs te
ipsi illico numeretur. Ineo pter quod rem feceris bo-
no viro dignam, nostræ etiam authoritatis rõnem habu-
isse contestaberis, nramq; in te priorem benignitatem fa-
cilè adauxeris. Datæ in Ciuitate nra Vienna Austriæ
xxvii Septemb. Anno ꝓ M. D. LXIIII.